



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

O R A T I O

EX INSTITUTO

HON. DOM. NATHANIELIS DOM. CREW,

HABITA IN THEATRO OXON.

A. D. M DCC LXXX VIII.

A

GULIELMO CROWE, LL. B. e COLL. Nov.

PUBLICO UNIVERSITATIS ORATORE.

O X O N I I :

Prostant apud D. PRINCE et J. COOKE : J. F. et C. RIVINGTON et T. CADELL, Londini.

О Т В Е Т

И Н С Т И Т У Т

И М П Е Р А Т О Р С К О Г О У Н И В Е Р С И Т Е Т А

С Т О Л И Ц К О Г О У Н И В Е Р С И Т Е Т А

И М П Е Р А Т О Р С К О Г О У Н И В Е Р С И Т Е Т А



И М П Е Р А Т О Р С К О Г О У Н И В Е Р С И Т Е Т А

И М П Е Р А Т О Р С К О Г О У Н И В Е Р С И Т Е Т А

И М П Е Р А Т О Р С К О Г О У Н И В Е Р С И Т Е Т А

И М П Е Р А Т О Р С К О Г О У Н И В Е Р С И Т Е Т А

ORATIUNCULAM hanc meam, cum nescius
 sim quas ob causas reprehendi debuerit, intelligo
 tamen a quibusdam acerbius quam par fuit reprehensam
 esse. Quocirca eam in vulgus edendam esse statuo, et
 quidem eo potissimum consilio, ut isti κριτικωτατοι homi-
 nes et πολιτικωτατοι habeant quod legendo distinctius
 percipiant; habeant etiam (si quid ejusmodi velint) quod
 fortius insectentur et apertius; habeant denique a me,
 defensionis et responsi loco, ipsam orationem suis oculis
 subjectam. Tu vero, B. L. propositum hoc meum æqui
 bonique consulas: meque subarroganter vel temere fe-
 cisse ne putes, cum opusculum minus perfectum pæne
 invitus vulgaverim. Profecto a sermonibus paulo iniquius
 audientium ad lectores, qui sine odio et iracundia judica-
 bunt, neque periculosa neque inhonesta est provocatio.

CENTESIMUS hic annus est, Academici, ex quo, præcipue quidem divina ope, deinde constantia et virtute majorum nostrorum ab gravissimis malis instantissimisque periculis erepti sumus atque servati. Illo enim anno permagna quidem et ante id tempus inaudita in Britannia res gesta est: Rex potentissimus, quod multa contra remp. fecerat, ipse est una cum facinorum suorum suasoribus et ministris, cum sectæ suæ sacerdotibus et aëclis, cum tota denique domo in exilium missus, ejectus, abdicatus. Tum ejus in locum electus a civibus alius, qui juste et legitime imperaret: civium porro jura, ipso rege approbante, definite distincteque recensita, et novarum auctoritate legum confirmata et stabilita. Tanta sunt hæc, Academici, et cum nostra omnium salute ita conjuncta, ut si quis alio tempore ea dicendo commemorare velit, haud intempestivum orationis argumentum sumpsisse videatur. Seculi autem spatio jam exacto, oportere hæc eadem solenniori quadam prædicatione celebrari, quis est qui neget? Justum ergo tempus mihi oblatum esse video; neque deerit legitima

legitima dicendi materies: dicam enim, Academici, de viris, hæc olim intra mœnia enutritis, qui insigne virtutis documentum iniquo illo tempore dederunt: præcipue autem de illis dicam, qui hac ipsa in Academia nefariorum hominum ausis, instantisque tyranni minis resistere, magno licet cum ipsorum discrimine, non recusarunt. Quod si quis forte inquiret (quoniam hæc mihi descripta lex est, ut oratio habeatur de iis solis qui bene de Academia sint meriti) cur hosce viros in eo numero reponendos esse duxerim, hanc velim mei consilii rationem extitisse sciat. Confiteor equidem id muneris mihi demandari ut eos justis laudibus prosequar, quicumque aliquando opibus suis vel ditaverint Academiam vel decorarint. At quæ tandem est ista Academia quæ non possit, nisi data pecunia, ditari; neque decorari, nisi ædificiorum splendore? Hæc esse partem Academiæ concedo, sed minimam: quæ autem disciplinis continentur, quæ scientiis et artibus, quæ probitate et virtute, quæ denique fama honesta apud externos, ea demum Academiæ sunt decus et divitiæ. Quare si merito laudes eorum celebrari iussit Academia quorum liberalitate splendidior existat, annon in eadem laude illos quoque jure ponemus, quorum splendidissima facta hoc suum domicilium exornant? Ea porro quæ constant ex donis et muneribus beneficia, illustre quidem proponunt exemplum, sed non ita multis imitabile. Quæ vero sumuntur a vita et moribus exempla virtutis, constantiæ, fortitudinis, ea multo latius patent, et tacita quadam admonitione omnes ad imitandum hortantur.

Quo

Quo in genere præclarum fuit illud, et dignum laude sempiterna exemplum quod dederunt fortissimi viri, Socii istius Collegii, cujus omnia jura, uno iniquissimo regis mandato proculcata sunt, et ad tempus pœne deleta. Tum fane est editum intra unius Collegii muros spectaculum quod omnium ora oculosque in se converterat. Revocate animos vestros, Academici, ad istius temporis memoriam. Qua audacia, qua violentia, qua contumelia agebatur in homines innocentissimos! Hi vero, quanta gravitate, quali prudentia, qua fortitudine sustinebant superbissimum impetum! Quinetiam eo magis eminebat eorum virtus, quod nullo fati firmo defensi præsidio, nullo magno auxilio adjuti, in certamen periculosissimum descenderant. Quos enim amicos habebant (habebant autem omnes bonos) eos jam de suis dubitare fortunis videbant, atque adeo alienas nullo modo posse sustentare. Alios regii nominis reverentia, alios timor retinebant; adhæc deterrima quædam et plusquam fervilis opinio de regio jure divinitus dato infederat plurimorum animis, ut pauci admodum essent qui auderent ferre auxilium, qui ferret, plane nemo.

Atqui si postulationi locus fuisset, postulavissent quidem, gratissimo usi patrono; illustrissimo nempe illo * Principe, cujus est effigies hic ante oculos vestros cum ad intuendum posita, tum etiam ad venerandum. Hoc scilicet duce, et quodammodo auspice, flecti

* Jacobus Dux Ormondia, Acad. Oxon. Cancellarius. Is quidem obiit, A. D. 1688.

debut

debut regis animus, si precibus unquam flecti potuisset. Erant sane in illo viro fere omnia quæ probari solent in iis qui plurimum auctoritate valent et gratia: erant præterea multa ejus merita, cum in remp. tum etiam in regiam domum. Atqui horum nihil valebat in aula regis ingrati: imo potius, in illo tempore, obfuit ei amor patriæ spectatissimus; obfuit, quæ in eo erat summa fides et religio inconcussa.

Ignoscatis mihi, Academici, quod paululum e via deflexerim, dum brevi qualicunque præconio meritissimum virum ornarem: si modo talem hunc laudare, Cancellarium olim nostrum, id sit e via deflectere; præsertim cum jam versetur oratio in temporibus et rebus iis, de quibus nemo quidem possit dicere, nisi simul dicat de viris præstantissimis, iisdemque Academiæ hujusce alumnis.

Nam ut cætera omnia omittam, quanta tempestas tum ingruerit ecclesiæ Anglicanæ puto vos meminisse; cum ex Præsulibus, unus ab officio suo exequendo prohiberetur, vel nullo jure, vel, quod multo pejus est, tyrannica quadam libidine, quæ sanctissimum juris nomen præ se tulisset; alii vero, septem una sanctissimi viri, contumeliose habiti, in carcerem coniecti, iniqua denique lite vexati. Quæ res, initio luctuosa quidem et acerba, exitum tamen habuit lætissimum et gloriæ plenum.

Horum

Horum itaque virorum pars major in ecclesiam, tanquam in ar-
 cem aliquam tutandam, ex hac Academia progressi sunt. In eo
 autem numero duo fuerunt, quos ego nequeo (nefas enim id esset
 mihi) silentio præterire. Est certe quædam jactandi occasio non
 inhonesta; scilicet cum possis de viris egregiis jactare, quod ali-
 quando fuerint de numero tuorum. Quin imo eos, qui Acade-
 miam hanc tam præclare fundatam nobis reliquerunt, si quem for-
 te sensum retineant humanarum rerum, lætari crediderim, cum
 possint ejusmodi complures inter suos numerari. Tu verò, sanc-
 tissime quondam Præsul, patronorum omnium munificentissime,
 WICCIAME, pater domus nostræ, Tu tum duos in parvo illo et
 fortissimo agmine,* Tu duos de tuis Alumnis conspiceres pro patria
 gloriosissime periclitantes. Atqui vos oro, Academici, patiamini, et
 mihi concedite hoc, five pii officii munus, five fit gloriolæ cujus-
 dam ostentatio: siquidem ab ipsa natura id habeamus, ut, quod
 aliquo propiore vinculo nobis est conjunctum, eo quasi nostro glo-
 riemur. Absit igitur ut mihi culpæ sit quod ore paulo pleniore lau-
 daverim hosce viros, quorum utique alter (ut de cæteris virtutibus
 taceam) eminebat constantia singulari, alter erat pietatis et innocen-
 tiæ præstantissimum exemplum.

Etenimvero horum omnium, ut una simul omnes oratione com-
 plectar, hæc vera laus est, hoc solidum gloriæ fundamentum, quod

* Franciscus Turner, Episc. Ellen. Thomas Ken, Episc. Bath. et Well. uterque Novi
 Coll. olim. Soc.

maxima cum virtute, constantia, periculo etiam suo, maximis de rebus certaverint: scilicet, ut sincerum Dei cultum, ut jura a majoribus tradita, ut famam denique fortunamque suas salvas tueri possent; quæ quidem omnia illo tempore, vel occultis infidiis, vel aperta vi, petebantur sceleratissimè.

Attamen, ut quod verum est, vel saltem verisimile confiteamur, neque Rex ipse, nec cum eo qui tum erant, consilarii facinorum et ministri, aut ausi essent tam atrociam, aut potuissent, nisi fuissent inducti sermonibus et opinione vulgari. Deceptus, deceptus est, inquam, infelix iste, et quidem ab iis deceptus, a quibus minime oportuit. O voces aulicorum, et gratulationes regibus factæ, quam infidæ estis, et perniciosæ credentibus! Indicaverant quidem regi, omnia esse in ejus potestate; nec putabant brevi fore, ut iste sibi nihil non arrogaret: Promiserant sese fore obediens illius edictis; nec videbant instare tempus, cum improba et ignominiosa imperarentur: Demonstraverant a Deo mandatum esse, ne quis resisteret regi; nec sentiebant regem ipsum contra patrias religiones jam tum nefaria moliri. His igitur promissis fretus, Rex beatum se ac potentissimum judicabat: quæ enim suspicari potuit, quin id sibi jure permissum esset, quod ultro sibi delatum a civibus suis accepisset. O jura præclara, et certe divinitus jam olim concessa regibus nostris, quibus salvis, nihil aliud in rep. salvum esse potuit! O cives egregios, qui regem potius, quam remp. salvam esse voluerunt!

At

At vero nonnulli fuerunt, in eo civium numero, quorum sententiam licet improbaverim, tamen nullo modo cum ipsorum contumelia ausim improbare. Erant profecto cum summa pietate, tum fide singulari. Quæcunque autem in illis visa sunt minus digna sapientibus et ingenuis viris, ea sunt ab institutione et disciplinis malis profecta.

Gratulandum est igitur hoc tempore, tum reip. tum maxime Academiæ, quod ejusmodi nihil jam restat in institutis et rationibus Academicis. Præsertim exolevit opinio, adulatoria dominationis fautrix, æqui bonique contemptrix, exolevit, inquam, ista pernicies, vel potius a ratione devicta, sublata tandem est et radicitus evulsa. Stant autem et vigescunt cæteræ illæ Disciplinæ, probitatis et virtutis magistræ, quibus olim eruditi sunt, quos modo laudavi, viri excellentes : vigescunt etiam eæ quæ deceant et tueantur ingenuos. Hæ porro, ut indies fiant excultiores, nobis omnibus, Academici, summopere nitendum est. Et oro, faxit ille Deus O. M. cujus consilio et faventi numine salutaria hæc evenisse confido, ne posthac adversi quid eveniat, quo minus læta eorum commemoratio esse videatur : remp. vero in eadem, qua nunc est, libertate conservet : tunc utique futurum spero, ut quæ, post centum annorum cursum, nunc primum a me suscepta est celebratio secularis, ea sæpius instauretur in hac nostra Academia, libera usque eademque florentissima.

F I N I S.



















